

SYLVIA & GALATEA,

Virginibus simplicioris iudicii

SCHOLA

Perficiendi Ingenii,

Iussis atq; precibus

OCTAVIÆ ELISIÆ,

Thalassione votivo

In Nuptiis

Inter partes profapiae haud diversi
splendoris, nimirum

20.

DONAVERIANÆ

Ut &

ELSPERGERIANÆ,

Ratisp. VII. Calend. Maji A. M. DC. XCIII. celebratis,
amicitiæ studia testaturæ, exhibita

1018430 Authore
TULLIA ROMANA.

Johann, i.e.
Georg, Krugler
Ratisb.

Tullia Octavia S. D.

HAbes, Octavia, mandati muneris obsequium: non ad hoc amicitiae genus modò devinctum; sed majora etiam animi studia paratum. Materiam carminis, quæ utilis, quæ jucunda, quæ singularis, petebas: quia sensus, quibus his nuptialibus sacris placere velles, eruditi, tenelli, sereni. Ad preces etiam tuas Musam faventem suam adstitisse operam dixissem; si per ingenii vires, per animi libertatem, perque cœli nostri temperiem licuisset argumento decus addere; hinc privatam, illinc publicam necessitate turbante mentis & literarum otia. Placebis tamen solo Galatæ, solo Sylvia nomine. Non quod cuiquam ex hospitibus sint cognita; sed centum ferè ab hinc annos lepida fortis vitam agitantibus, multa de se scriptis reliquerint jucunda, & amantibus grata: quibus & post alia hæc ipsas confabulationes insertas reperi; quæ veræ sunt, qui credit: credet verò, ubi indolem moresque sexus nostri perspectos habet. Præcipuè autem gratiæ spes inde accrescit animo, legentium oculis quando Auctor obveniet, TULLIA FOEMINA; non ad calamum, sed thalamum nata; nihilque ætatis nostræ puellas; sed quæ Sylvia & Galatæa florebant, indigitans; secus vel ego Novitatis, vel tu singularitatis poenas datura es ulciscens Musis. Intrepidis ergo manibus hæc tuis cibis temperandis condimenta mensæ loca; Sale quidem, sed non Attico; aceto etiam, sed non roseo fluentia; nuptiarumque dapibus perfruere; quæ vobis mel atque far, carniūque inter vina varietas: at mihi cum Pegasidibus puellis colloquutiones mutue inter felices uberis soli hortos, in quibus læta semper cœli facies, lætus Sol, festivi joci & deliciae. Vale.

VII. Cal. Maji, M. DC. XCIII.

1018430



Galatea. Sylvia.

Galat.



*Uc gelidas inter fagos, ô Sylvia, mecum
Coge pecus; teneros ne torrida pascua fetus
Incendant, nimium cæli que flamma calentis
Arida tabificis depascitur ignibus: at nos*

*Dum tepidis solitas inducit montibus umbras
Hesperus, & saturæ ludunt per prata capellæ,
Mollibus interea clivis ubi cæruleus Ister
Argutò serpit pede per muscosa salicta,
Esculeum placidâ carpemus frigus in umbra,
Et quod lucis adhuc superest sermonibus illud
Miscendis dabimus spatium, sacra quomodo solè
Hesternò nobis abierunt annua festa,
Qualis & ex illis tibi vel mihi sive voluptas:
Sume locum, tenet & modò me quoq; frondea sedes.*

Sylv.

*Nec, Galatea, mihi venient incommoda que nunc
Otia commendas: membris languentibus estû
Fervens gutta sedet; nobis nocet illa cæloris
Improba temperies, gregibus nocet illa tenellis.*

Galat.

*Sylvia prome manum, sanguis vehementius & quâ
Parte tibi pulsât nuda, limphaq; recenti
Imbue: vix etenim credas dulcedine quantâ
Per totum sese diffundant frigora corpus:
Sic me Daphnis heri docuit, multumq; probati
Usû consilium Damon laudabat & artis.*

Sylv.

*Pellere corporibus damnosa incendia nostris
Te docuit Daphnis? tu sed quid Daphnida contra?
Ingenium nec enim tibi deficit, ipsa sed inter
Pastores doctæ signas te nomine mentis.*

Galat.

*Simplicitatis opus verum, simulacraq; prisca
Virtutis si quis vellet spectare probiq;
Pectoris effigiem, non ille volumina rerum
Quæ bene gestarum memorant præconia volvat,
Aut veterum lustret tabulas exempla virorum*

Splendida quæ referunt, studium virtutis & æqui,
Vel generis nostri solidæ pietatis amantes
Gloria quos altos sublimibus extulit astris:
Sed me, me videat saltem, vitamq; pudicam.

Sylv. Parce gravi nimia laudi: tu sola puellis
Scilicet ex reliquis mihi cunctis optima splendes?
Hæc tibi tam subito morum reverentia sancta
Unde venit? nec non præsentia tædia amoris?
Vos memores ripe, memores vos dicite Sylva,
Dicite vos vitrei fontes & amabile littus,
Flavicomans ad quæ Galateam sæpius altâ
Rupe sub arboreâ Daphnis pascibat in herbâ,
Fælicæ gracili calamo ludens, vel carmine dulci
Flagrantes mulcens sensus monstransq;, cicutis
Utribus ut tumidis bene junctis fistula cantet,
Nil Galatæa leves annæ invidiæ curet amores.

Galat. Os mihi sic loquitur, pectus non talia sentit:
Verbis consistit nostri vis illa pudoris,
Nil sumus in factis: non est ô Sylvia quæ non
Ardeat, incendi quæ non patiatur amore:
Aut proprio si quæ cui se jactaverit ore
Se nunquam tangi, mendacia pinguis credat.
Nos citius custos Ovium Pan deserat ipse,
Quàm me dulcis amor, citiusq; sub æquore sylva
Crescat, & in summis mare surgat montibus altum,
Quàm pharetratus in hos Deus haud sibi vendicet artus
Imperium, neq; me semper trahat ardor amandi.

Sylv. Hoc bene: consuetus lepide sic ludere mos est
Indolis ille tuus, dispar nec opinio mentis
Me tenet adverse: Sed tandem dicere pergam,
Præteritus nobis fecit quæ gaudia lusus.

Galat. Id moneo, occiduus quia jam propè vergit in undas
Hesperias Phæbus: dic quid fuit ergò laboris.

Sylv. Nil aliud præterquam alienos carpere mores
Et vitas hominum, pro consuetudine nostrâ.

Galat.

Galat. *Nonne etiam Daphnis tuus, & cum Phyllide Damon,
Et Lycidâ Doris, pulcherq; Amaryllide Alexis,
Post illosq; niger Corydon, atq; omnia Thyrsis
Membra capillosus, barbatus & Alpheſibæus,
Maris amans, & Mopsus olens, vel læsus utroq;
Lumine Damatas ludis interfuit illis?*

Sylv. *Hos habuit cunctos exceptâ Phyllide cætus.
Ha, hæ, he, Galatea! dolent mihi viscera risu,
Dum refero simplex per quot ludibria turba
Ille rudis Corydon, & Mopsus, Thyrsis & ille
Hirsutus tribus à nobis agitata puellis.
Præcipuè Thyrsis, Doris commubia cum quò
Ex illâ refugit causa, quod pectora, crura,
Atq; genæ rigidis horrescant undiq; setis.*

Galat. *Hæc ego nil facerem, mihi qualiscunq; maritus,
Cætera si vir sit: potior, mihi crede, capillis
Vis latet, & pecudi semper quoq; gratior hircus,
Cornua post etiam longò qui crine superbit.
Quid verò suberat cause absens sola quod ex his,
Et gregis & vestra scena pars optima Phyllis?
Vivere tunc ne suâ potuit sine Phyllide Damon?*

Sylv. *Me fugit atq; sui pudet & Damonis amoris
Arte palam facti nostrâ, mihi fœdera scire
Quæ secus haud licuit, vel dissimulare perita,
Vel celare suum tenuit quia Phyllis amorem.
Nuper ut herbiferi pecus ad viridantia Cydni
Flumina deduco, tantans, saliensq; recessus
Mopsa per obliquos nemoris provenit, & hircum
De grege majorem prorsus quem Phyllis amabat,
Fronde trahens post se, quasdamq; sub intima condens
Pectora Litterulas, rogitanti: fata secundi
Quid tulerint? quorsum jam tenderet, atq; novarum
Quid rerum? me, dicit, io, me Sylvia, cælum
Plus amat ac reliquos mortales: sidera cur non
Ipsa mea sorti meliori luce faventi*

Ceditis? O nimium superis accepta, repono,
 Mopsa, tuæ cumulum fortune Juppiter ô si
 Mecum divideret! sed cujus tanta beabunt
 Dona gregem, porrò quero? quod dicere primum
 Illa negat: precibus tamen insto, larga subinde
 Præmia commemorans, mihi constat, gratia cujus,
 Mopsa refert, caper is potior selectus, & à quò
 Sit stylus, hæc Mopsæ fidei res credita soli est,
 Ad Damonis oves nunc hoc ego munere pergo,
 Sed chartâ ad dominum: quanti me rite peractò
 Officiò excipient haustus nummiq; benigni.
 Dimidium ludi fuerat, quod Mopsa tumebat
 Immodicò jamjam Baccho. Procul, assero, Phyllis
 Hinc mea non aberit, nostris tu junge capellis
 Egregium regem, sed ego tradam ipsa tabellas.
 Annuit imprudens, verbis dum facta probandis
 Accessere meis: gemmam pro munere dono,
 Cærulei vitrum fuit hæc sed gemma coloris,
 Inclusum quamvis auro radiisq; superbum.

Galat. Credo voluptatis multum accepisse legentem:
 Argumenta mihi tabularum expone, sequensq;
 Inter utramq; novos quos fabula protulit actus.

Sylv. Phyllida crudelem atq; Hircanâ protinus omni
 Tigride pejorem dicas: nam funera Phyllis
 Cogitat & cædes, post intervalla tot usquam
 Copia Damonem fuerit quod nulla videndi.

Galat. O sanctum pectus! tantâ pietate puellas
 Præstantes nec habet plures nec mundus habebit.

Sylv. Insana est, quacumq; pati pro conjuge vulnus
 Decrevit: non sunt hodiè, Lucretia castò
 Quæ veluti cupiunt gratis succumbere ferro,
 Nullus uti sibi pro nobis extinguere vitam.
 Versiculos etiam subjecit nescio cujus
 Carminibus sumptos, partim queis laude ferebat
 Damonis formam, partim valedixerat orbi,

Publica Pastores inter mea lectio quorum
Egregios fecit ludos: sed præbuit illis
Majores longè Phyllis quod nescia rerum
Gestiarum poterat nihil explorare, vel hircum
Quò nam perdidit fatò, vel gratia quare
A Damone, suò missò pro munere, nulla;
Hanc donec noster risus rem prodidit omnem.

Galat. Ad genus hoc qua te vindictæ culpa movebat?

Sylv. Haud caret ille dolus causâ: nam Phyllis acerbo
Me prius indoctam ludò tractabat, iniqui
Ingenii cujus nullis oblivio mentem

Temporibus capiet: quare fraus pessima fraude
Debuit equali ludi & simili ære rependi.

Scis, Galatea, greges steriles armentaꝝ, clausa,
Boletis, certum quorum cognomine differt
Cervinumq; vocant genus, inter pabula sparsis
Quando vescuntur, solvi facundaq; reddi?

Quod faciunt illi in pecude, hoc in matribus herba
Efficit, expertis mox Artemisa dicta,

Nomina que dederat regis fidissima conjux
Mausoli, ignotas virtutes prima quod olim
Ediderat, nemorum mox à custode vocata

Artemis, incolumes partus que provida servat:
Addit item stimulos apium viresq; selinum.

His ego quàm primis Hymeneus proximus antè
Noctibus incultum mihi vomere vertat agellum,

Præparo felices segetes: hoc tutius & rem
Ut peragam (facilis quoniam suspicio nobis
Artibus ex illis, majora cupidine prolis

Quamvis contingant) rogo Phyllida, floris ut hujus
Clam mihi suppeditet quantum meus exiget usus.

O imposturam! quid nam fallacibus illis

Tam simile est herbis, magis ovum ut distet ab ovo,
Atq; nives nivibus, quàm sunt absinthia! parte

Regius ex omni flos ille simillimus his est,

Nec foliis differt, nec quicquam stipite dispar.
Hunc mala supponit florem mihi Phyllis amarum:
Incauta accipio, potuq̄, exhaurio mixtum
Nil fraudis metuens, medicatis frugibus at vix
Pocula demitto labris, ô toxica clamo,
O fel! felle omni & dirô mihi acerbior haustus!
Projiciensq̄, vitrum manibus lethale putabam
Anguinum virus lucemq̄, instare supremam.


Galat. Desine, dispereo: risus mihi pectora rumpunt
Si pergas, tua nec narratio proxima fini.


Sylv. Et tua nunc etiam delectamenta recense:
Quæ nam præteritis tibi Majis Idibus illa?

Galat. Crastina lux illis memorandis tempora nobis
Commodiora feret; succedens vespera cælo
Nos jubet ire: licet menti non gaudia consent
Tanta mea, semper tibi queis felicior aura
Sapius adspirat. Nosti quæ, Sylvia, mater,
Quisvè mihi genitor: dura illa est, durus & ille:
Vix meus arridet blandò mihi lumine Daphnis,
Et jam fulminibus ruere ad terram astra videntur.
Nonnè tenent primos satis improba servitia annos?
Quid sumus in reliquâ vitâ tunc? Sordida testa
Naturæ famulos operantis condita in usus,
Undè tener citius nostri flos occidit oris,
Corporis & morbis exhaustis viribus ægri,
Languentes stygias anima rapiuntur ad undas.


Sylv. Optima pars vitæ nostræ est exacta juvenus,
Vulgaris quâ nos sententia judicat omnis
Expertes sceleris nostrum & genus impar amori,
Scilicet implete atatis petulantia stulti
Tuta latet vulgi lepidis erroribus illis.
Interea quorsum noster grex? objice septum
Heic Galatea tue pecudî ne forte recurrat
Ad campos vespertinò jam rore madentes:
Et vaga mox etiam stabulis armenta reducam.







BUŁ



20000000730981

Litt. Lat. rec.

1. 17

BIBLIOTEKA UNIWERSYTECKA
W ŁODZI

1018367 2002
-1018430